

perimentis mirifice confirmantur. Enimvero Phrenologi in numero, et natura organorum, et facultatum assignandis minime consentiunt; siquidem Gallius viginti septem, Spurzheimius trigintaquinque, alique alium organorum numerum detexisse asserunt, ipsasque facultates, quas organis assignant, alii aliter explicant. Porro quam infeliciter organorum descriptio eis successerit, illud satis, superque demonstrat, quod organum *theosophiae*, a Gallio, aliisque cum eo in calva hominum assignatum, etiam in capite arietum, et pecorum detectum sit. Quamobrem iure optimo ab Debreyne scripta phrenologia ex ipsorum Phrenologorum placitis scientiam dici non posse, quia ipsi Phrenologi in eius principiis statuendis haud consentiunt. Praeterea Phrenologos in suis divinationibus deceptos fuisse inter omnes constat. Ut pauca exempla afferamus, in calva celeberrimi Laplacei ab eis organum stupiditatis detectum fuit, neque in calva homicidae Fieschii organum *destructivitat*, aut in calva Lecenuirei, famosi latronis, organum furti, sed organa benevolentiae, theosophiae, aliaque illis vitiis adversantia inventa sunt <sup>1</sup>.

165. *Probat*ur altera pars. 1° Absurdum est inter facultates animae *primitivas* illas recensere, quae in singulis hominibus non inveniuntur, et contra, facultates omnibus hominibus communes, tamquam facultatum specialium proprietates, spectare. 2° Absurdius etiam est rationem, et voluntatem e facultatum numero extrudere, cum ipsae ceteris omnibus facultatibus praestent. 3° Si unaquaeque facultas primitiva propriam sibi percipiendi, reminiscendi, ratiocinandi facultates habet, tunc illud valde abnorme consequitur, hominem, qui, exempli loco, viginti facultatibus praeditus est, viginti habere facultates percipiendi, reminiscendi, ratiocinandi. 4° Quin dicamus de iis Phrenologis, qui cerebri circumvolutiones non pro instrumentis, sed pro facultatum principiis habuerunt, ac proinde in Materialistarum castra commigrarunt, certe in Phrenologismo spiritualitas, et libertas animae pessumdantur. Et sane, quoniam facultates or-

<sup>1</sup> Cf de hac re Debreyne, *Pensées d'un croyant catholique*, ed. 3<sup>e</sup>, p. 201-203, Paris 1844; Forichon, *Le matérialisme et la phrénologie combattus dans ses fondements*, Paris 1840; Flourens, *Examen de la phrénologie*, ed. 3<sup>e</sup>, atque inter germanos, Friedreich, *Arch. psychol.* (germ.), p. 131-194, Heidelbergae 1814, et Reichlin-Meldegge, *Psych. hominis* (germ.), sect. I, p. 358, Heidel. 1837.

ganicae animae natura sua sentientes sunt, ex phrenologiae principiis necessario fluit intellectum, et voluntatem esse facultates sentientes animae, ideoque animam, etiam prout est principium illarum, esse sentientem. Atqui principium, quod non est aliud, nisi sentiens, neque spirituale est, neque libertate arbitrii pollet. Ergo, si intellectus, et voluntas essent, uti Phrenologi contendunt, facultates organicae, anima humana nec spiritualis, nec libera foret <sup>1</sup>. Fatemur quidem Gallium <sup>2</sup>, Spurzheimium <sup>3</sup>, omnesque politiores Phrenologos animae spiritualitatem saepe propugnasse: sed id cum placitis sui systematis, in quo omnes animae facultates, tamquam organicae, statuuntur, pugnare nemo non videt. Et sane, si isti Phrenologi animam esse spiritualem tenent, fateantur oportet animae aliquid essentialia inesse, quo naturae corporeae antecellit, et quo a corpore minime pendet. Atqui actiones animae, ut saepe dictum est, naturae eius consentaneae esse debent. Ergo, si inest animae aliquid principium essentialia, quod naturam corporis supergreditur, etiam quoddam genus actionum ei convenire debet, quae sine ullo organo corporeo exercentur; ex quo intelligitur, praeter facultates organicas, etiam aliquas inorganicas ab anima fluere oportere, id quod ab his Phrenologis haud conceditur.

## CAPVT VIII.

### De animae humanae origine

#### ART. I. *Refutatur hypothesis de unitate primitiva animalis*

166. Iam in *Cosmologia* sententiam Robineti inuimus, qua diversae rerum species non aliud esse statuitur, nisi quosdam gradus, per quos natura ab unico principio, velut cunctarum re-

<sup>1</sup> Ex quo perspicis maximo in errore versari illos Lovanienses (cf Ubaghs, *Anthropol. philos.* Part. psych., c. V, § 382, et *Revue Cath.*, Ser. VI, vol. II, p. 243 sqq, an. 1859), aliosque permultos, qui Phrenologis concedunt phrenologiam spiritualitati, et libertati animae humanae ex eo non obesse, quod intellectum, et voluntatem pro facultatibus organicae animae statuit.

<sup>2</sup> *Anat. et physiol. du syst. nerveux*, vol. I, p. XXXIII, Paris 1808, et *Sur les fonctions du cerveau*, vol. I, p. 226, Paris 1822.

<sup>3</sup> *Observations sur la phrénologie*, p. 226, Paris 1832.

rum rudimento, profecta transivit, ut ad formationem hominis tandem perveniret <sup>1</sup>. Porro quod de homine respectu totius universalitatis rerum, id de ipso homine respectu animalium effluerunt Lamarckius <sup>2</sup>, Büchner <sup>3</sup>, Darwin <sup>4</sup>, aliique. Scilicet, secundum eorum sententiam, homo est unicus *typus* vitae animalis, qui non illico constituitur, sed est ultimus terminus evolutionis organicae embrionis humani <sup>5</sup>; atque ceterae species sunt totidem pausae, quas evolutio organica in suo cursu facit, ita ut evolutio, quoties in aliquo momento sui cursus consistit, seu, ut aiunt pausam facit, aliquam speciem constituat. Hinc embrio humanus, antequam ad constituendum hominem perveniat, induit pedetentim diversas formas vitae animalis, diversasque species constituit. Paucis, homo est animal primitivum, quod per successivas transmutationes pervenit ad speciem Orang-Outang, qui parens immediatus est hominis rationalis; ac proinde animae humanae ab eodem typo primitivo, ac belluinae, evolvuntur.

167. Prop. *Thema de unitate primitiva animalis est metaphysice absurda* <sup>6</sup>.

*Probatur.* 1° Exemplaris, aiente s. Thoma, proprium est eo spectare, ut illa, quae ad normam sui effingantur, similia sibi reddat <sup>7</sup>. Atqui id de homine cum reliquis animalibus comparato dici nequit. Namque homo ob rationem, qua solus inter animalia pollet, a reliquis animalibus essentialiter differt. Ergo homo exemplar, seu typus totius vitae animalis esse nequit <sup>8</sup>.

<sup>1</sup> Cf p. 144, et 145, not. 2.

<sup>2</sup> *Recherches sur l'organisme des corps vivants etc.*, Paris 1802.

<sup>3</sup> *Force et matière.*

<sup>4</sup> *De l'origine des espèces*, trad. de l' angl., Paris 1862.

<sup>5</sup> Quare Littré unitatem typi *legem evolutionis* vocat; *Paroles de phil. positive*, c. 14, p. 339, Paris 1860.

<sup>6</sup> Hoc tantum, ut compendio studeamus, demonstrandum suscipimus. Quod si physiologicè haec theoria spectetur, multis etiam absurdus scatur. Cf Flourens, Cuvier, *Histoire de ses travaux etc.*, Blainville, *Diction. des scien. naturel.*, Suppl., art. *Animal*. Praestat etiam legere nostrum Ian. Portanova, *Errori e delirii del Darwinismo*, Napoli 1872, et Can. Franc. Ragusa, *Saggio critico sul Darwinismo*, in *Ephem. La Scienza e La Fede*, ser. IV, vol. IX et X, Napoli 1878.

<sup>7</sup> *Quodlib.* VIII, a. 2 c.

<sup>8</sup> Hoc argumentum ita amplius confirmatur: Certum, ratumque est <sup>1</sup>

2° Si homo esset ultimus terminus, ad quem evolutio embrionis pervenit, facultates cognoscendi, appetendique in homine a principio quodam materiali producerentur, quippe quod embrio, horum Physicorum sententia, ex vi sibi insita seipsum evoluit. Atqui hoc, ut ex dictis in *Dynam.* patet, perabsurdum est. Nam facultates rationales, cum sint inorganicae, principium alius naturae, ac quodlibet organum corporeum, expostulant; sentientes autem, etsi per organa corporea exerceantur, ab his tamen permanere nequeunt. Ergo homo esse nequit ultimus terminus, ad quem evolutio embrionis pervenit, seu, quod idem est, typus totius vitae animalis. Ex quo argumento colligitur, praefatam opinionem ex materialismo derivare quia sumit omnes facultates hominis, immo ipsam vitam non nisi materiae brutae evolutionem esse. Quod historia confirmat, hodierni enim materialistae sunt qui opinionem illam propugnare conantur.

3° Si diversae species belluarum ortae essent ex diversis pausis, quas evolutio embrionis humani facit, profecto una species in aliam transmutata foret, proindeque ipsae mutabiles, non vero fixae et immotae dicendae essent <sup>1</sup>. Atqui hoc omnino repugnat; quia, cum diversae species belluarum ob aliquam proprietatem essentialem differant, admittendum foret essentialiter esse mutabiles: praeterea experientiae contradicit, quia, uti a Cuvierio demonstratum est <sup>2</sup>, species belluarum in cunctis praeteritis aetatibus eadem fuerunt, ac nunc sunt, et mutationes, quae ob varietatem coeli, aliasque causas in eis fiunt, non sunt, nisi exteriores, et accidentales. Ergo diversae species animalium oriri non potuisse ex pausis, quas evolutio embrionis humani facit, pro certo habendum est.

a quolibet principio non posse aliud fieri, nisi illud, ad quod ipsum principium spectat, et ad quod in potentia est; 2° illud, quod fit, esse eiusdem naturae cum seipso, postquam factum est, quia id, quod fit, ad seipsum, prout factum est, se habet velut via ad terminum, et veluti corpus, quod est in motu, ad corpus, quod est in quiete. Atqui homo alius est naturae, ac reliqua animalia, atque animalium multae sunt species. Ergo unicus embrio nec potest esse principium, ex quo homo, et cunctae species belluarum efformantur, nec potest, dum ad faciendum hominem progreditur, cunctas species belluarum, aliam post aliam producere.

<sup>1</sup> Hoc doctrinae suae corollarium adversarii non abnuunt.

<sup>2</sup> Apud Flourens, Cuvier etc., n. 291.

ART. II. *Refellitur emanatismus*

168. Velustissimam illorum opinionem, qui Numinis supremi essentiam per universum, ad anisinae instar, diffusam putabant, atque inde mentis nostrae originem deducebant, declarasse videtur Pythagoras. Ex cuius sententia, Deus est velut aether, qui per omnes mundi partes diffusus omnium vitam, motumque constituit, atque ex illo aethere carpitur anima, quae proinde Divinae naturae consors est <sup>1</sup>. Secundum Platonem, animae rationales ex Divina Mente effluunt per animam mundanam, quam tamen ille Deo quidem similem, sed ab ipso Deo discretam, et separatam admisisse videtur <sup>2</sup>. At Stoici ipsam Dei naturam, velut vitalem ignem, per universum diffusam esse, atque ex ea, tamquam e fonte quodam, animas nostras hauriri asseruerunt <sup>3</sup>. Neoplatonici ex *Uno*, sive Deo *Intelligentiam*, quae est principium omnium spirituum; ex *Intelligentia* autem *animam universalem*, quae est principium omnium animarum particularium promanare docuerunt. Deinde animam humanam ex Divina substantia emanare rati sunt Manichaei, et Priscillianistae, veteres haeretici <sup>4</sup>, necnon nonnulli inter philosophos Arabes, quibus intellectum *separatum*, admittere placuit <sup>5</sup>. Non est, cur de Spinosa dicamus; cum enim nullum ille inter Deum, et ceteras res discrimen ponat, animam humanam ex Divina substantia derivare, consecrarium eius systematis est. Petrus Poiretus etiam huc pertinet, cuius sententia anima humana emanatio quaedam, seu effluxio ex Deo est <sup>6</sup>. Hodie eundem errorem leviter mutatum docet Arhens, atque unum ex praecipuis

<sup>1</sup> Cf Cic., *De nat. Deor.*, lib. I, c. 11.

<sup>2</sup> Cf Chaignet, *De la psychologie de Platon*, p. I, c. 3, § 3, p. 173 sqq, Paris 1862.

<sup>3</sup> Cf Cic., *Op. cit.*, lib. III, c. 14.

<sup>4</sup> Cf s. Aug., *De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 7, et *Contra mendacium ad Consentium*, c. V, n. 8.

<sup>5</sup> Cf *Dynam.*, c. IV, art. 5, p. 134, vol. I. De his ita scribit s. Thomas: « Quidam posuerunt, intellectum omnium hominum esse unum, vel agentem tantum; vel agentem, et possibilem simul: et quia quamlibet substantiam separatam antiqui Deum esse dicebant, sequebatur, animam nostram, idest intellectum quo intelligimus, esse divinae naturae »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 85.

<sup>6</sup> *De Oecon. Div.* lib. sex, t. I, c. X, § 24, p. 148, Francofurti 1705.

elementis eius pantheismi est <sup>4</sup>. Denique omnes Pantheistae transcendentales animam cum substantia Divina confundunt; siquidem anima humana, secundum ipsos, est ipse Deus, qui sub forma spiritus se explicat, et evolvit, uti Schellingio placuit; vel, ut ait Hegelius, est Deus, prout sui ipsius conscius fit.

169. Prop. *Animam humanam ex Dei substantia constitui absurdum est.*

*Probat.* 1° Si anima humana ex Divina substantia constitueretur, manifestum est id intelligi non posse, quatenus Divina substantia in partes distrahitur, ex quibus diversorum hominum animae exurgunt, siquidem hoc a simplicissima Dei natura maxime abhorret; quocirca dicendum foret ex tota Divina substantia uniuscuiusque hominis animam efformari; et quoniam Divina substantia maxime una est, una in omnibus hominibus anima admittenda esset. Atqui una in omnibus hominibus anima nequit admitti. Ergo animam ex Dei substantia constitui valde absurdum est <sup>2</sup>. *Minor* ex eo demonstratur, quod homo sicut *esse*, ita unitatem ab anima, quae est eius forma, habet; quapropter homo unus, seu indivisus in se, et ab aliis divisus ex eo dicendus est, quod eius anima ab aliis animabus secernitur; et ideo si plures numero sunt homines, plures oportet sint animae, ita ut haud fieri possit unam numero animam omnes homines informare <sup>3</sup>.

2° Divina substantia mutationis capax non est. Atqui ex eo, quod non est capax mutationis, nihil fieri potest; nam hoc ipso,

<sup>1</sup> *Corso di diritto natural.*, Part. general. *Della natura dell' uomo*, § II, p. 140 sqq, trad. di Vinc. de Castro, Milano 1857.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 85.

<sup>3</sup> *Ibid.*, c. 73. S. Bonaventura eos, qui ex pluribus animabus sensitivis, non vero intellectivis plures homines existere contendebant, ita breviter redarguit: « Est contra Christianam religionem, dum aufert meritum retributionem, quae non esset, si omnium anima una esset. Est etiam contra rectam rationem. Planum est enim quod anima intellectiva, ut intellectiva, est perfectio hominis, secundum quod homo. Si ergo homines non sunt diversi solum secundum quod animalia, sed secundum quod homines, non solum habent diversas imaginationes, et animas sensibiles, imo etiam diversos intellectus, et animas rationales. Est etiam contra sensibilem experientiam, quoniam diversi homines diversas habent et contrarias cognitiones, et affectiones »; *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, a. II, q. 1 ad arg.

quod ex aliquo aliquid fit, mutatur id, ex quo fit. Ergo anima humana ex Divina substantia fieri nequit <sup>1</sup>.

3<sup>o</sup> Denique: Si anima ab ipsa substantia Divina dimanaret, vel in anima immutabilitas, quae Dei propria est, admittenda foret, vel Deus mutationibus, quae propriae sunt animae, obnoxius esset. Atqui horum primum contingenti, finitae, et mutabili naturae animae adversatur; alterum ab immutabilitate Divinae naturae abhorret. Ergo <sup>2</sup>.

170. Adnotare etiam praestat illa verba Genesis, quibus asseritur Deum inspirasse in faciem Adami *spiraculum vitae* <sup>3</sup>, emanatismo, quemadmodum post s. Augustinum <sup>4</sup> Aquinas adnotavit, nedum favere, adversari. « Inspiratio praedicta, ait, processum vitae a Deo in hominem, secundum quamdam similitudinem demonstrat, non secundum unitatem substantiae; propter quod et in faciem spiritus vitae dicitur inspiratus: quia cum in hac parte corporis sint plurimum sensuum organa sita, in ipsa facie evidentius vita monstratur. Sic igitur Deus inspirasse in faciem hominis spiraculum vitae dicitur, quia spiritum vitae homini dedit, non eum ex sua substantia decidendo; nam et qui corporaliter insufflat in faciem alicuius, unde videtur sumta esse metaphora, aerem in faciem eius impellit, non autem aliquam suae substantiae partem in ipsum emittit <sup>5</sup> ».

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, loc. cit. Hoc argumentum s. Augustinus iam protulerat. « Quod, ipse ait, vere immutabile, et incorruptibile est, nullius rei accessu commutari, vel corrumpi potest: Deum autem nefas est, nisi vere summeque incommutabilem credere. Non est igitur anima pars Dei » (*De origine animae hominis*, seu *Epist. CLXVI*, c. 2, n. 3). Quare monuit Deum animae auctorem dicendum esse, « ut ab Illo facta sit, non ex Illo »; *De anima et eius origine*, lib. III, c. 3, n. 3.

<sup>2</sup> Ita s. Augustinus Manichaeos redarguebat: « Non est pars Dei anima... Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius; nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere quod non habebat, vel desineret habere quod habebat, quantum ad eius ipsius affectiones pertinet. Quam vero aliter se habeat, non opus est extrinsecus testimonio: quisquis se ipsum advertit, agnoscit » (*Epist. cit.*, c. 2, n. 3). Et alibi: « Porro animae naturam vel in deterius, vel in melius commutari posse, quis ambigit? Ac per hoc sacrilega opinio est, eam et Deum credere unius esse substantiae. Quid enim hoc modo aliud, quam et ille commutabilis creditur? » *De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 2, n. 3. Cf. *Contra mendacium ad Consentium*, c. V, n. 8.

<sup>3</sup> *Cap. II*, v. 7. — <sup>4</sup> *De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 3.

<sup>5</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 85.

ART. III. *Inquiritur, utrum necne anima humana per creationem oriatur*

171. Anima humana, quippe quae, uti ostendimus, a Divina substantia non emanat, oriri, sive a non esse ad esse transiri dicenda est. Iam res incipit esse vel per creationem, vel per generationem <sup>1</sup>; quapropter quaestio circa modum, quo anima humana ortum habet, huc redit, utrum, post creatam primi hominis animam, ceterorum hominum animae per generationem corporis producantur, an singulas animas nunc quoque Deus ex nihilo creet in singulorum corporibus, aequae ac primi hominis animam in eius corpore infudit creando, et infundendo creavit.

172. Ii, qui priorem originis animae causam afferunt, *Traduciani* appellari solent, quippe quia animam a parentibus in filios *traduci*, sive transmitti arbitrantur. Duplici autem ratione haec sententia explicari potest, nempe ita ut anima filii ab anima patris oriri dicatur vel *mediate*, sive per traductionem seminis, vel *immediate* <sup>2</sup>.

173. Prop. *Anima humana neque mediate per traductionem seminis, neque immediate ex anima parentum in filios propagari potest.*

*Probatur prima pars. Nulla virtus activa agit ultra genus suum.*

<sup>1</sup> Cf. *Cosmol.*, c. I, art. 5, p. 100.

<sup>2</sup> Hanc opinionem nonnulli s. Augustino attribuunt: ast perperam. Nam in primis sanctum Doctorem pro ea sententia stetit ex iis locis argui nequit, in quibus de origine animae disserens, nihil de hac quaestione definire voluit (cf. haec loca apud Andr. Martin, *Sancti Aurelii Augustin. Philos.*, Pars IV, c. 45-51, Paris 1863, et Ab. Flottes, *Études sur saint Augustin etc.*, Pars II, § 2, c. 1, Paris 1861). Praeterea in aliis sequentibus suis operibus s. Augustinus eam sententiam, quae animas per propagationem oriri tenet, omnino reprobavit; nam Optatum monet, ut defendat, quantum potest, atque asserat « animarum infantium eiusmodi esse novitatem, ut nulla propagatione ducantur » (*Epist. CXC*, c. 4, n. 13): atque sententiam, qua animas a Deo creari docetur, aperte asseruit. « Quis negat, inquit, non unius tantum, sed omnis animae creatorem Deum, atque factorem, nisi qui eius eloquiis apertissime refragatur? Sine ulla quippe ambiguitate per Prophetam dicit, *Omnem flatum Ego feci*; animas videlicet intelligi volens, quod verba consequentia manifestant. Non itaque unum, quem factum ex terra homini primo inspiravit, sed omnem flatum Ipse fecit, Ipse adhuc facit »; *Ibid.*, n. 16. Cf. etiam *De Trin.*, lib. II, c. 8.

Atqui anima rationalis est « forma penitus spiritualis, nec communicans corpori in operatione <sup>1</sup> »; virtus autem generativa, quae nempe est in semine, genus corporeae virtutis non excedit. Ergo. Quod argumentum ita confirmari potest. Treductio seminis est causa propria generationis corporis; quare si anima esse inciperet per traductionem seminis, ex corruptione corporis esse desineret. Atqui absurdum est consequens. Ergo et antecedens <sup>2</sup>.

174. *Probat*ur altera pars. Si anima filii a parentis anima immediate procedere dicatur, id quidem non ita intelligi potest, ut ex abscissione partis alicuius ex anima parentis animae filii producat, quia ex anima parentis, quae simplex est, partem aliquam decidi, aut effluere, atque alteri communicari repugnat; quapropter ex propria actione animae parentis anima filii produci deberet. Atqui haec originem animae explicandi ratio immaterialitati animae repugnat. Ergo. *Minor* evincitur eo quod cum efficiens illa animae parentis virtus ad producendam ex nihilo animam filii porrigi haud possit, ex aliqua materia praesistente deberet hanc educere; et ideo anima vel aliquid ex materia, et forma compositum, vel tamquam forma materialis ponenda foret <sup>3</sup>.

175. Prop. 2<sup>a</sup>. *Animae humanae a Deo producuntur per creationem.*

*Probat*ur. Haec propositio tamquam corollarium ex praecedenti propositione inferri potest. « Unum, inquit s. Augustinus, est e duobus: si anima ex traduce non est, ex nihilo est; ne ita sit ex Deo, ut naturae sit Dei, quod omnino sacrilegum est credere <sup>4</sup> ». Et sane, anima humana, ut saepe diximus, « hoc habet proprium inter alias formas, quod est in suo esse subsistens, et esse, quod est sibi proprium, corpori communicat <sup>5</sup> ». Atqui « sic alicui competat fieri, sicut et esse <sup>6</sup> ». Ergo anima humana, secus ac aliae formae, quae « non incipiunt esse in actu, nisi compositis factis <sup>7</sup> », per se, nempe non per alterius pro-

<sup>1</sup> *Qq. dissp., De Pot., q. III, a. 9 c.* — <sup>2</sup> *Contr. Gent., lib. II, c. 86.*

<sup>3</sup> *In lib. II Sent., Dist. XVIII, q. II, a. 1 sol.*

<sup>4</sup> *De Anim., et eius orig., lib. I, c. 15.*

<sup>5</sup> *Contr. Gent., lib. II, c. 87.* — <sup>6</sup> *I, q. LXV, a. 4 c.*

<sup>7</sup> *Ibid. ad 1. Cf Cosmol., c. I, art. 5, p. 101, not. 6.*

ductionem habet suum fieri <sup>1</sup>. Atqui animae humanae per se fieri ita proprium est, ut nequeat educi ex aliqua re praesistente neque corporea, quia « sic esset naturae corporeae <sup>2</sup>, neque incorporea, quia « sic substantiae spirituales transmutarentur <sup>3</sup> ». Ergo productio animae humanae est ex nihilo, seu est vera creatio, quae, ut alibi adnotavimus <sup>3</sup>, infinitae potentiae Dei solum attribui potest <sup>4</sup>.

176. *Obiic.* 1<sup>o</sup> Parentes hominem generare dicuntur. Atqui homo constat ex anima, et corpore. Ergo non solum corpus, sed etiam anima per generationem oritur.

177. *Resp. Dist. mai.*, quatenus operantur ad unionem corporis, et animae, ex qua unione homo est homo, *conc. mai.*, quatenus generant quamlibet partem hominis, *neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Et sane, « licet anima rationalis non sit a generan-

<sup>1</sup> *Contr. Gent., loc. cit.* — <sup>2</sup> *I, q. XC, a. 2 c.*

<sup>3</sup> *Cosmol., c. VIII, art. 1, p. 163-164.*

<sup>4</sup> Nemini mirum accidere debet, aetate s. Augustini, a nonnullis dubitatum fuisse, utrum anima filii a Deo per creationem oriatur, an ex parentis anima propagetur (cf s. Thom., *Qq. dissp., De Pot., q. III, a. 9 c.*); nam, ut idem Aquinas ait, « eorum, quae sunt Fidei, quaedam non sunt perfecte per Ecclesiam manifestata... sicut tempore Augustini nondum erat per Ecclesiam declaratum, quod anima non esset ex traduce » (*In Ep. ad Rom. c. XIV, lect. III*). At vero, « nunc, ait Estius, post tot gravissimas hac de re Theologorum Scholasticorum disputationes, re diligenter excussa, omnibusque in unam sententiam indubitanter euntibus, non poterit profecto maximae temeritatis notam effugere, si quis deinceps vel diversam (*ab ea, quae tenet animas a Deo creari*) opinionem elegerit, vel adhuc dubitandum putaverit »; *In lib. II, Dist. XVII, § 15*. Cf etiam Melchior Canus, *De locis theol.*, lib. 12, c. 13). Hoc adnotatum volumus, quia Casimirus Ubaghs (*Anthrop. Philos. Elementa*, Pars synthetica, cap. I) asserit opinionem, animas a parentibus generando propagari, probabilibus niti rationibus minime spernendis, eamque cum nullo catholicae Fidei dogmate pugnare, dummodo generatio illa non velut materialis divisio, aut diffusio quaedam concipiatur. S. O. Congregatio tum ob traducianismum, tum ob aliquas doctrinas, quas prof. Lovan. propugnat, et quae sunt similes aliquot ex septem propositionibus, quas eadem Congregatio die 18 sept. 1861 haud tuto tradi posse indicavit (cf quae diximus in *Ideal., c. I, art. 8, p. 205, not. 4, vol. I*), tum ob alias opiniones, quas caute minus, quam fas est, exponit, decrevit « in libris philosophicis a Gerardo Casimiro Ubaghs hactenus in lucem editis, et praesertim in Logica, et Theodicea inveniri doctrinas, seu opiniones, quae absque periculo tradi non possunt ». Cf *La Scienza e la Fede*, vol. LXII, p. 390-391, Napoli 1866.

te, unio tamen corporis ad eam est quodammodo a generante<sup>1</sup>; nam generans disponit corpus, ut coniunctionem cum anima secundum leges naturae exposulet, et acquirat<sup>2</sup>. Quoniam vero ex unione animae ad corpus homo est homo, optimo, meritoque iure parentes hominem generare dicuntur, quia generationis finis, ut saepe monuimus, non est forma, sed compositum ex materia, et forma.

178. Obiic. 2° Si corpus per generationem, et anima per creationem oritur, unum non est *esse* hominis. Atqui consequens est absurdum. Ergo anima per ipsam generationem corporis oritur.

179. Resp. *Neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Ex eo, quod corpus per generationem, et anima per creationem producitur, *esse corporis* ab *esse animae* minime separatur; nam « creans dat *esse* animae in corpore, et generans disponit corpus ad hoc, quod huius *esse* sit particeps per animam unitam<sup>3</sup> ».

180. Inst. Unum *esse* hominis produci non potest a causis diversis. Ergo.

181. Resp. *Dist. ant.*, si illae diversae causae non sint inter se ordinatae, *conc. ant.*, secus, *neg. ant. Neg. cons.* Causae, inter quas nullus ordo existit, eundem effectum producere nequeunt. At vero in productione hominis generans cum operetur usque ad ultimam dispositionem, qua corpus exigit informari anima rationali, eum ordinem habet ad Deum, qui animam creat, ut ad Ipsum, veluti causa instrumentalis, referatur. Etsi igitur Deus creans, et homo generans sint causae diversae, tamen unum *esse* hominis ex iis producitur. « Natura est sicut instrumentum Divinae virtutis; unde non est inconveniens, si Virtus Divina sola faciat animam rationalem, actione naturae se extendente solum ad disponendum corpus<sup>4</sup> ».

182. Obiic. 3° Filii simulantur parentibus non solum secundum physicas qualitates corporis, sed etiam secundum qualitates animae. Atqui hoc demonstrat, sicut corpora a corporibus, ita animas ab animabus parentum traduci. Ergo.

183. Resp. *Dist. mai.*, aliquando, *conc. mai.*, semper, *neg. mai.*; *neg. min. Neg. cons.* Sane aliquando, ut s. Thomas advertit, « aliqua accidentia individualia propagantur in filios, per-

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 9 ad 19. — <sup>2</sup> *Ibid.* ad 2.

<sup>3</sup> *Ibid.* ad 20. — <sup>4</sup> *Ibid.* ad 21.

inentia ad dispositionem naturae; sicut velocitas corporis, bonitas ingenii, et alia huiusmodi<sup>1</sup>. At in primis non semper id evenire cuique propria experientia compertum est. Praeterea illa similitudo animae haud demonstrat animam ex anima traduci; ipsa enim explicatur 1° ex eo, quod facultates sensitivae, quae a corporis temperamento pendent, in vis intellectivae exercitationem concurrunt; 2° ex eo, quod, cum accuratam proportionem inter formam, et materiam existere oporteat, Deus infundit corpori animam, quae illius capacitati consentit<sup>2</sup>.

ART. IV. *Sententia Rosminii circa animae intellectivae originem reicitur*

184. Rosminius animae intellectivae originem ita explicavit, ut anima filiorum, prout sensitiva est, a parentibus per generationem producat, et postea fiat intellectiva per apparitionem ideae entis, quam Deus manifestat<sup>3</sup>. Qua in re cl. Philosophus restituisse videtur aliquorum veterum sententiam, qui, ut s. Thomas refert, docuerunt « quod illa eadem anima, quae primo fuit vegetativa tantum, postmodum per actionem virtutis, quae est in semine, perducitur ad hoc, ut ipsa eadem fiat sensitiva; et tandem ad hoc, ut ipsa eadem fiat intellectiva, non quidem per virtutem activam seminis, sed per virtutem superioris agentis, scilicet Dei deforis illustrantis<sup>4</sup> ».

185. Prop. 1°. *Falsum est animam sensitivam hominis produci per generationem.*

*Probat.* Unum est *esse* animae humanae, quae simul sensitiva est, et rationalis<sup>5</sup>. Atqui anima humana, prout est rationalis, quemadmodum ostendimus, per generationem non oritur. Ergo neque prout est sensitiva.

186. Hoc argumentum, quod ab unitate animae humanae depromitur, a s. Bonaventura his duobus modis exhibetur: 1° « Philosophus dicit quod sensitivum est in intellectivo, sicut tetragonus in pentagono; et vegetativum in sensitivo, sicut trigonus in tetragono. Si ergo ab eodem principio est tetragonus, a quo

<sup>1</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXXI, a. 2 c.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Pot.*, loc. cit. ad 7.

<sup>3</sup> *Psicol.*, vol. I, lib. 4, c. 23.

<sup>4</sup> I, q. CXVIII, a. 2 ad 2. — <sup>5</sup> Cf p. 208 sqq.